



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 5. Qui baptizatus non est, potest-ne alterum baptizare?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

74 TRACTATUS II.

Quaest. 3. Parentes possunt-ne liberos suos baptizare ?

Resp. Non debent eos omnino baptizare nisi in necessitatis articulo. *Parentes autem*, inquit Divus Carolus, *omnino caveant ne liberos suos baptizent absque manifesta necessitate: cum scilicet alii quoquo modo apti non adsunt, & periculi urget necessitas. Quod ipse etiam monebit, prout usu aliquando venit.*

Quaest. 4. Pater qui baptizavit Filium in casu necessitatis, potest-ne petere ab uxore debitum matrimonii ?

Resp. Potest, ut ait Joannes VIII. relatus in Canone. *Dicimus*, inquit Pontifex scribens Episcopo Lemovicensi qui eum hac de re consuluerat, *omittendum esse, & inculpabile judicandum quod necessitas intulit. Nam hoc baptizandi opus Laicis fidelibus juxta Canonicam auctoritatem si necesse fuerit facere, liberè conceditur. Unde si supradictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, sacri unda Baptismatis lavit, ut eum de potestate auctoris mortis & tenebrarum eriperet, & in regnum Christi jam regnaturum sine dubitatione transmitteret, bene fecisse laudatur; idcirco sua uxori sibi jam legitime sociata impune, quandiu vixerit, judicamus manere conjunctum.*

Quaest. 5. Qui baptizatus non est, potest-ne alterum baptizare ?

Resp. Certum est, quod potest, ut declarat Nicolaus Papa consultis Balgarorum respondens: *A quodam*, inquit, *Judeo, nescitis utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis: & quid de iis sit agendum consulitis. Hi profecto, si in*

s Carol. ibidem,

Can. Ad limina. 30 q. 1.

Can. A quodam. De Contrah. dist. 4.

De Sacram. Baptismi. Cap. IV. 75

nomine sanctæ Trinitatis baptizati sunt, constate eos non esse denuò baptizandos.

Rationem affert Divus Thomas: Sicut ex parte materia, inquit, quantum ad necessitatem Sacramenti, sufficit quacumque aqua; ita etiam sufficit ex parte Ministri quicumque homo. Et ideo etiam non baptizatus in articulo necessitatis baptizare potest, ut si duo non baptizati se invicem baptizent, dum prius unus baptizaret alium, & postea baptizaretur ab eodem: & consequeretur uterque non solum Sacramentum, sed etiam rem Sacramenti. Si verò extra articulum necessitatis hoc fieret, uterque graviter peccaret, scilicet baptizans & baptizatus: & per hoc impediretur Baptismi effectus, licet non tolleretur ipsum Sacramentum.

D. Th. 3. p.
q. 67. art. 5.
in corp.

Quæst. 6. Sacerdos qui solemniter baptizaret absque consensu proprii Parochi, peccaret-ne?

Resp. Peccaret; nam, ut ait Divus Thomas, Quando Baptismus solemniter & ordinatè celebratur, debet aliquis Sacramentum Baptismi suscipere à Presbytero curam animarum habente, vel ab aliquo vice ejus.

D. Th. 3. p.
q. 67. art. 4.
ad 2.

Quæst. 7. Valeret ne Baptismus, si unus infunderet aquam super pueri caput, & alter proferret verba formæ?

Resp. Non foret validus talis Baptismus, quia, ut ait Divus Thomas; Integritas Baptismi consistit in forma verborum & in usu materia: & ideo neque ille qui tantum verba profert, baptizat; neque ille qui immergit. Et ideo si unus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit esse conveniens.

D. Th. 3. p.
q. 66. art. 6.
ad 3.

Quæst. 8. Licet-ne plures simul baptizare?